

27.

Viro amplissimo DD. Nicol Jacquin s. pl. d. Car.  
a Linné.

Tuas V. A. d. 26. Octobris datas hisce diebus habui Chemnitio scriptas. Ex animo Tibi gratulor novam stationem, proficuum maxime munus, charamque conjugem, faxit Deus ut hisce ditatus mundanis deliciis diu vivas in gloriam Creatoris.

Plantas siculas a Te descriptas certe nullas habui, sed horreo audire Te non accepisse meum catalogum, quo respondebam ad Tuas plantas plerasque. Seposui jam plantas in herbario suis locis, nec sine annuo labore possem eas reperire, nisi indicares genus et numerum, nam omnes ja-cent sub suis generibus, cum Tuo adscripto numero.

*Coronilla coronata* mea est frutex sesquipedalis, magnitudine omnino Coronillae valentinae et glaucae, facile distinguenda foliolis (in folio pinnato) basi folii proximis s. inferioribus tam prope cauli insertis, ut referant duas stipulas, quod in nulla Coronilla contingit. Habeo omnes has tres vivas florentesque, cum vero Tu dicas tuam esse tantum perennem plantam, forte erit Coronilla (minima) foliolis novenis lanceolatis, stipulis emarginatis oppositifoliis. Ferrum equinum siliquis in summitate C. B. 349.

Pulchra erat observatio de *Ledo* in Angina inflammatoria. tentabo certe data occasione, cum eo nil frequentius apud nos.

Musci a Te missi erant sequentes:

1. *Mnium cirratum*. — 2. *Bryum heteromalum*. —
3. Defuit specimen — 4. *Splachnum ampullaceum*. —
5. *Polytrichum quadrangulare*, ob orbiculum sub anthera. —
6. *Jungermannia undulata*. — 7. *Marchantiae* species imperfecta. Tubercula rudimenta cyathorum. — 8. *Hypnum denticulatum*. — 9. *Hypnum serpens*. — 10. *Hypnum Crista castrensis*. — 11. *Hypnum dendroides*. — 12. *Hyp-*